



Fridleus filius fuit Dani & nepos Frothonis Danorum regum. Hic cognomento celer datus, Anno mundi termillesimo octingentesimo quinquagesimo regnum suscepit, & magna dexteritate gubernauit. Eo regnante Huyruillus Hollandiae princeps, qui Noruegiam vicerat, ex inopinato Danos bello petiit. Huic cum Fridleus fortiter occurreret, tanta milium fortitudine concussum est, ut per paucis periculum fuga uitantibus, ambae penitus acies consumerentur, ita ut dubio Marte pugna direpta fuerit. Altera luce Fridleus cum quatuor hostium ducibus solus decernere statuit, ne lacerae copiarum reliquiae denuo discrimen subire cogerentur. Huic enim praeter insitam animo fortitudinem etiam contempratrix ferri, tunica fiduciam ministrabat. Nec rem fortius quam prosperius executus, Huyruillum, Bugonem, & Fanningum opprescit: Gunnholmum autem hostile ferrum carminibus obtundere solitum, crebro capuli ictu exanimauit. Idem cum Duslynum Hyberniae oppidum obsideret, muro rumque firmitate locum expugnare non posset, hirundinum alis inclusum funis ignem affigi præcepit, quibus propria nidificatione receptis, subito flammis tecta luxerunt, quas oppidanis restinguere concurrentibus, maioremque sopiendi ignis, quam cauendi hostis curam præstantibus Duslyno potitur. Posthaec apud Britanniam amissis bello militibus, cum difficile ad littus redi tum habiturus uideretur, interectorum cadaueribus erectis & in acie collacatis, ita pristinum multitudinis habitum repræsentabat, ut nihil ex eius specie tanto uulnere detraictum uideretur. quo facto hosti non solum conserdæ manus fiduciam abstulit, sed etiam carpente fugæ desiderium incussit. His rebus confectis Danos magna pace rexit, & tandem moriens filium Frothonem regem constituit. Sax. Gra. lib. 4. Verum loan. Magnus Lindormus regem Sueorum pro more extollens, huius Fridleui laudem obscurare conatus lib. 4. c. 13.